



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Decretvm Cleri Lavdvnensis De Henedvlfo Electo Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
174.

JOANNES S. TICINENSIS. LUDOVICVS II. IMP.
P.VIII. CAROLVS CALVVS R.F. 4II

ANNO
CHRISTI
174.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Concilium Duziacense II.] In codice sancti Laurentii Leodien-
sis, cui Synodus hanc debemus, epistolæ synodicæ titulus est hu-
iusmodi: Epistola synodica episcoporum plurimarum prouinciarum apud
Duziacum Rhemensis parochia congregatorum, anno incarnationis do-
minica DCCCLXXIV. indictione VII. Idibus Juniis, ad episcopos prouin-
ciarum Aquitaniæ regionis, de incestis coniunctionibus a quampluribus,
& maxime carne nobilibus viris, ibidem perpetratis, & de rerum ecclie-
siasticarum peruationibus. Generale placitum Idibus Iuniis hoc anno
a Carolo rege in villa Duzia celebratum auctor est Aimoinus lib. v.
cap. XXXI.

ANNO
CHRISTI
176.

SYNODVS TICINENSIS,

QVA IMPERIVM CAROLO COLLATVM
confirmatur anno Domini D C C L X X V I . tempore
Ioannis papæ VIII. indictione IX. mense Februario.

Hæc Synodus inserta est Concilio Pontigonensi sequenti, ubi con-
firmata fuit.

DECRETVM CLERI LAVDVNENSIS

DE HENEDVLFO ELECTO EPISCOPO.

Domino reuerentissimo & sanctissimo Hincmaro archiepiscopo, ce-
terisque nostræ diœceseos sanctis patribus & episcopis, cleris
Laudunensis, cum totius parœciae plebis, & sibi coniunc-
tis præfulibus, æternam in Domino Iesu Christo salutem &
pacem.

CANONICIS regulis & apostolicis institutionibus sta-
tutum esse recolimus, vt quoties quælibet ciuitas
ministerio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque pa-
store vacauerit, cum decreto electionis, singulorum pe-
tentium manibus roborato, metropolitanum adire ponti-
ficem debeat, ac de substituendo in loco eius qui dece-
dit pastore petitione supplici commonere: quatinus & ci-
uitas solitudine pastorali destituta proprio recuperetur
pontifice, & qui ordinandus est, gratiosius possit accede-

Concil. Tom. 24.

Fff ij



re: quia cui debet ab omnibus obediri, vtique debet &
ab omnibus eligi, ne ciuitas non optatum episcopum aut
contemnat aut oderit, & fiat minus religiosa quam con-
uenit, cui non licuit habere quem voluit: hi vero qui or-
dinaturi sunt, in quem viderint omnium vota propensius
concordare, promptius liberiusque illi manus imponere
possint. Quapropter cum decreto nostræ electionis ma-
nibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem
vestram accedentes, * Hedenulfum ecclesiæ nostræ filium,
& in ecclesia nostra suffragantibus stipendiorum meritis
ad onus vsque sacerdotale promotum, vita & moribus ac
sancta conuersatione idoneum approbatum, quem per
licentiam vestram, fauente Christianissimo imperatore
Carolo, pari consensu ac concordi deuotione, atque una-
nima voluntate elegimus, per manus vestras ac cetero-
rum vestra dicces eos sanctorum episcoporum consecra-
ri, nobisque & ecclesiæ nostræ doctorem atque pontifi-
cem institui imploramus, precamur, ac petimus. Eligi-
mus autem eum nobis fore pastorem, quem apostolicæ
formæ, qua episcopum ornatum beatus Paulus esse debe-
re demonstrat, congruere, & sacris non obuiare Canonis-
bus, Christi gratia cooperante confidimus. Oramus san-
ctam paternitatem vestram nunc & semper in Christo be-
ne valere. Actum v. Kalendas Apriles in basilica sanctæ Ma-
riæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, anno incar-
nationis eiusdem Domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVI.
regni domini Caroli imperatoris xxx vi. ac imperii primo,
indictione ix.